MONVMENTA ANTIQVISSIMAE HISTORIAE ARABVM

POST

ALBERTVM SCHVLTENSIVM

COLLEGIT

EDIDITQVE

CVM LATINA VERSIONE

ET ANIMADVERSIONIBVS

IO. GOTTFR. EICHHORN

PROF. IENENSIS

GOTHAE

SVMTIBVS CAROLI GVILHELMI ETTINGERI.

MDCCLXXV.

Iam ante biennium, cum Goettingae, cui Deus faueat, adhuc verſarer, coepi hiſtoriae antiquiſſimae Arabum fragmenta ex ſcriptoribus Graecis pariter atque Latinis eo conſilio colligere, vt ederem olim libellum, qui antiquiſſimas Arabum hiſtorias exponeret. Habui quidem iam tum temporis monumenta Arabica ab *Alb. Schultenſio* edita, quibus hiſtoriam criticis multis diſputationibus indigentem tanquam fundamento ſuperſtruerem: at vidi, deeſſe mihi adhuc Arabum ipſorum ſiue figmenta ſiue traditionem de Gaſſaniis, Hirtenſibus, reliquis, quorum in Byzantinis potiſſimum ſcriptoribus injicitur mentio frequentiſſima. Quod cum declararem fautori, immortaliter de me meisque

 ſtudiis

ſtudiis merito, Ill. *Heynio*, aperuit ſua ſponte conſilia mea Viro ſummo B. *Reiskio*, qui, qua fuit aliorum ſtudia adjuvandi promtiſſima voluntate, omnia, quae mihi opus videbantur, ſubſidia ſuppeditauit. Iam poſtquam B. *Reiskii* ſumma liberalitate nactus eram campum, in quo excurreret diligentia mea, libellosque Arabicos manuſcriptos legeram, relegeram, eorumque exſcribendorum initium feceram, otio Goettingenſi, ſtudiis meis adamatis, librisque Arabicis ſcholaſtico ereptus ſum, quod mihi obeundum erat, munere. Cum autem ante hos quatuor menſes mihi redderer, rediit litterarum Arabicarum amor, quem *Michaëlis*, Viri Perilluſtris, ſcholis debeo, quibus etiam, ſi quid vtilis in hoc libello praeſtitum ſit, acceptum eſt referendum.

Ante

Ante omnia igitur monumenta ipſa retractaui, quibus excutiendis olim iam multum temporis conſecraueram, eaque prelo paraui, vt haberem olim, quibus vterer in hiſtoriis Arabicis concinnandis. Selegi igitur omnia, quae de rebus ab Arabibus ante Mohaemmedem geſtis exponit *Ibn Kothaiba* ſobrius ſcriptor, atque omnium, qui Arabice hiſtorias conſignarunt, et viderunt adhuc lucem publicam, tum iudicii acumine tum ſtilo facile princeps. Deinde *Nuweiriani* operis نهاية الارب في فنون الادب Tomi quinti eiusque ſectionis quintae caput quartum, res ab Arabibus ante Mohaemmedem natum geſtas enarrans, illudque integrum exſcripſi, verti, notulisque illuſtraui, iis tamen praetermiſſis, quae Schultenſius ὁ πανυ iam publici iuris fecerat. Schedulae quidem illae

iam prodeunt, has autem omnes exclu-
ſerunt nundinae vrgentes.

Tabulis genealogicis verſionem *per-
petuam* nullam adjeci, quippe quae in
plurimis locis ita comparatae ſint, vt
vel tironum nemo, haerere poſſit ſi ta-
bulas latinas ex textu Arabico concin-
natas contulerit cum Arabicis. Diffi-
ciliora autem loca vel luce hiſtorica vel
verſione illuſtraui.

Notulas criticas multas Codicis mar-
gini adpinxerat iam B. *Reiskius*, quibus
quidem exornaui libellum meum, ſed
addito ſemper auctoris nomine, id quod
ii olim teſtari poterunt, quibus Codi-
cem Reiskianum inſpiciendi dabitur op-
portunitas. Sedulo enim caueo, ne pe-
regrina eruditione me iactem, quod li-
cet hodie, praeſertim ex meo ſtudio-
rum

rum genere nonnullis, in more ſit, a meis tamen moribus prorſus eſt alienum.

Maxime profecto eſſet optandum, vt quae in mea manu ſunt Nuweirii monumenta, bella Arabum vetuſtiorum potiſſimum exponentia, ex tenebris eruerentur, atque in manus harum rerum peritorum emitterentur. Equidem huic labori non omnino ſubtraho humeros meos, qui omne otium, quod mihi per hos quatuor menſes ab Academicis laboribus reliquum erat, vertendis hiſce monumentis conſecrauerim. Attamen imbecillitatis debilitatisque meae conſcientia ſuadet, doctiores me precibus exhortari, vt hunc potius laborem ſuſcipiant. Quin ab his peto atque etiam rogo, vt, quae a me parum recte dicta atque explicita ſunt, humaniter notent,

ſuo-

ſuoque ingenio libellum huncce perpoliant.

Quae ad calcem leguntur notae *Reiskianae* in Hamzam Ispahanenſem ab Alb. Schultenſio editum, eo conſilio a beato fautore, dum in viuis eſſet, mecum communicata ſunt, vt data opportunitate typis exſcriberentur. Scripſi Ienae d. 15. Sept. 1775.

I. DE

I.

DE ANTIQVISSIMIS HISTORICIS ARABVM MONVMENTIS.

I.

DE ANTIQVISSIMIS HISTORICIS ARABVM MONVMENTIS.

Res istis temporibus gestae, vbi nulla adhuc verborum signa erant inuenta, nec memoriae humanae imbecillitati scribendi artificio succurrebatur, vel prorsus ignorari solent, vel fabulis ineptisque narratiunculis mixtae posteritati prodi. Solent enim, qui post inuenta litterarum elementa sequiori aetate praeclara maiorum facinora litteris consignant, famam aliquam popularem post varia discrimina adhuc superstitem sequi, atque ad pauca certa, quae acceperunt, sua addere, multa refingere et detrahere, fama populari tanquam certo fundo vti atque incerta superstruere. Hinc factum est, vt Graeci promto fertilique ingenio et ad fabulas adornandas nati, in maiorum praeclare gestis recensendis, inter alia, quae euenerunt, multa etiam narrarent, quae euenire potuerint.

 At-

Atque qui cogitet, Romanorum antiquissima monumenta, Annales Maximi, Commentarios Pontificum, Fastos, libros linteos molestum modò nominum recensum complexa esse; qui porro meminerit, raras per ea tempora litteras fuisse, et si quae rerum gestarum memoriae in commentariis pontificum aliisque priuatis publicisque erant monumentis, plerasque incensa vrbe interiisse: is profecto non miretur, si sequiores antiquissimarum Romanarum rerum scriptores in vnum locum congessisse putemus, quid hic vel ille et sexcenti alii tradiderint, censuerint, somniauerint.

Haec eum in finem praefati sumus, vt ne cui mirum videatur, vbi eosdem Arabum scriptores, qui in maioribus suis inde a Noacho deducendis ne syllaba quidem sacrorum oraculorum auctoritati repugnant – vbi eosdem, inquam, turpes ineptasque fabulas de iisdem circumferre animaduerterit. Quin imo mira esset haec maiorum memoria, quae si Arabes, Hebraeosque excipias, nulli profecto genti tam sancta conseruata est, nisi causae huius prorsus inexspectatae rei in promtu essent. Etenim nec ineptis illis, qui hodie adhuc rudibus indoctisque gentibus, v. c. vniuer-

vniuerſis Americae nationibus frequentantur, memoriam ante actorum poſteris commendandi rationibus vſi ſunt; nec Cherokeorum (1) inſtar Zonis vel monilibus (*Wampum* dicunt) res praeclare geſtas quaſi intexuerunt; nec caſus, inſigniores que rerum conuerſiones hieroglyphicis figuris tanquam rebus ipſis expreſſerunt, id quod Mexicanis (2) in vſu fuit; ſed vſi ſunt potius *carminibus* tanquam fidis rerum geſtarum cuſtodibus atque praeconibus, quorum vocibus rerum geſtarum ſeries per diuerſas aetates gentesque tuto transmitteretur. Tum vero *prouerbiis*, quorum infinita copia Arabibus in vſu erat, multa praeclare geſta poſteris prodiderunt; tandem *genealogiis* pertexendis, quibus et Hebraeos, Grönlandosque vacaſſe accepimus, ab vltima inde aetate occupati fuerunt.

(1) KOEHLERS *Sammlung neuer Reiſebeſchreibungen* Th. I. S. 76. *aus Robert Roger's Nachrichten von Nordamerica.* — BAVMGARTEN's *allgemeine Geſchichte der Länder und Völker in America.* Th. I. S. 233.

(2) BAVMGARTEN l. c. Th. II. S. 38.

§. 2.

Carmina fuere apud multas gentes prima rerum gestarum monumenta.

„Fuerunt primae poeticae partes, grandia, „pulcra, honesta praedicare et depingere„ res praeclare dictas, ac gestas, memoriamque praeteritorum posteris commendare. Ferebat iam id hominum antiquissimorum non modo ingenium, sed etiam veteris sermonis indoles et genius, vt quae narranda essent simpliciter, quemadmodum gesta sint, quasi in rerum actum reuocata et in scenam producta exhiberentur et dramatico more repraesentarentur. Nec haec sermonis indoles antiquioribus tantum populis frequentabatur, sed etiam gentibus incultis omnibus in vsu est, v. c. feris illis, quos dicunt, qui hodie adhuc Americam pererrant. Intelligitur autem multis tum antiquitatis, tum Americanorum exemplis homines incultos narratione, rem ipsam in scenam producente, parum contentos, cantum et saltationem (3) adhibere, quibus debentur verba

(3) Multa ad hanc rem illustrandam peti possunt ex disputatione illa „*von den Tänzen beim Dienst der Gottheit*, quae inserta est libro germanice scripto, cui

verba interuallis certis, non quidem accuratis, demenſa ſed liberius quoddam metrum, quod nos quidem Recitatiuum dicimus. (4).

Atque nullus dubito, ad hanc, quae apud omnes, quas equidem noui, incultas nationes obtinet, conſuetudinem tanquam ad cauſam referre, quod vel diuerſiſſimae in aliis gentes, in eo amice conſpirent, vt prima hiſtoriae monumenta metrice condita exhibeant. Germanos (5), carmini-

cui titulus: *Schwäbiſches Magazin von gelehrten Sachen auf das Iahr* 1775.

(4) Etiam in hac poëticae parte Arabes ſecuti ſunt naturam. Legimus enim Arabibus nullam contigiſſe certam atque accuratam metri rationem ante Chaliſam Raſchidum, quo imperante poëticam, rudi initio a natura fuſam, excepit ars, metrique tulit certis numerorum pedumque interuallis demenſi leges. Adi POKOCKIVM in ſpecimine hiſtoriae Arabum p. 161. „Mezh. c. 49. Non erant Arabi„bus priſcis Poëmata alia, quam verſus, quos vnus„quisque prout illi opus eſſet proferret — „ Conferenda tamen ſunt cum POKOCKII teſtimonio, quae contra Pocockium diſputauit, CASIRI in *Bibliotheca* Arab. Hiſpanica p. 71.

(5) TACITVS, de moribus germanorum cap. 2. Celebrant

minibus maiores ſuos atque heroas celebraſſe, credimus Tacito, licet poſt magnas rerum conuerſiones, coloniarumque ex Germania eductarum copiam, nulla exſtent noſtra aetate; quid? quod Islandia Scandinauiaque ſeruat carmina, quibus vel antiquiſſimorum heroum laudibus et memoriae ſatis eſt conſultum. Idem apud Hebraeos obtinuiſſe teſtantur reliquiae remotiſſimae et intimae vetuſtatis, quae in ſcriptis Moſaicis leguntur (6).

§. 3.

Apud Arabas in ſpecie.

Iam autem Arabibus noſtris nihil ſolemnius, nihil antiquius fuit, quam res praeclare geſtas carminibus intexere, carminibus tribulium animos ad eadem audenda honeſtiſſimo quaſi aculeo incitare atque impellere, magnanimos animi ſenſus non praecipere, ſed mentibus infundere. Erant ſequiori aetate omnibus Arabiae tribubus annui

lebrant carminibus antiquis (quod vnum apud illos memoriae et annalium genus eſt) Tuiſtonem deum terra editum, et filium Mannum, originem gentis conditoresque etc.

(6) GENES. IV. 23. 24. III. 24. IX. 25.-27. etc. conf. LOWTH de ſacra Hebraeorum poëſi. p. 73. 74.

annui conuentus, vbi quidquid fortiter geſtum eſſet, vel a tribuli aliquo vel a tota tribu in tribulium defenſionem publice praedicari ſolebat; erant *conuentus panegyrici* tribuum complurium vel cognatarum vel foederatarum, in quibus non ſolum fortia facta decantabantur ad aeternam vel tribus vel familiae vel priuati memoriam, ſed etiam praeclare, magnanime, fortiter ante hoc tempus acta publici quaſi praeconis voce repetebantur. Poëtae tandem Arabum ipſi in nundinis Occadenſibus (7) honeſtiſſima certabant in laudandis heroibus aemulatione, nec quidquam intactum relinquebant, quo auditorum animis acerrimos laudis et gloriae admouerent ſtimulos.

Atque carminum horum, in rerum geſtarum memoriam vel in domeſticis vel ſolemnioribus conuentibus fuſorum magnam copiam continent libri illi decantati, HAMASA (8) ſiue Anthologia

 Arabica,

(7) POCOCKII ſpecimen hiſtoriae Arabum p. 159.

(8) HAMASAM *maiorem* collegit ABV THEMAM, CC. ann. poſt Mohaemmedem, cuius veſtigiis inſtitit L. an. poſt BOCHTERI, *minoris* Anthologiae auctor. Excerpta ex libro *primo* et *ſecundo* (v. ERPENII Gr. p. 540.) Anthologiae maioris edi-

dit

Arabica, tum maior, tum minor, quibus commentarios adiecit *Taurizius*, et DIWAN, siue collectio

dit ex Bibliotheca Acad. Lugd. Batav. et notulis illustrauit ALBERTVS SCHVLTENS ad calcem *Grammaticae Erpenianae*, quae recusa sunt in *Grammatica Arabica*, ex Erpenio excerpta, nostri in litteris Orientalibus praeceptoris, Perill. IO. DAV. MICHAELIS. Partim a Schultensio iam edita Anthologiae specimina, partim inedita adhuc ex libro *tertio* excerpta dedit nobis b. REISKE cum versione et animaduersionibus nonnullis in V. S. V. HIRTII Anthologia Arabica. Ienae MDCCLXXIV. a p. 196—231.— Exscribemus hoc loco succinctam, quam, vt ex stilo colligi potest, dedit b. *Reiske* in libro Hirtii laudato p. 196. Anthologiarum Arabicarum descriptionem. „*Hamasa vetustior*, quam Abu Temam „compilauit, quae etiam *maior* appellatur et mole „puta, et praestantia, et fama. Nam est alia „quoque, ne illa quidem ignobilis, sed *recentior* „et *minor* dignitate et ὀγκῳ, a Bochtario collecta. „Suam Abu Temam in decem haec capita siue „libros mauis, digessit. In *primum* congessit frag„menta ad rem militarem et fortitudinis bellicae „commendationem facientia; *secundus* liber epice„dia complectitur; *tertius* gnomas de moribus et „officiis;

collectio operum poeticorum DSCHERIRI, quam commentariis illuſtrauit *Nadſchirius.* Haecce in conuentibus ſolemnioribus fuſa carmina adhibuerunt ſequiores Arabici hiſtoriarum auctores, tanquam vulgo nota paſſimque celebrata teſtimonia, ad faciendam a ſe narratis maiorem fidem. Sic inuenies in illa Nuweirii ſectione, quae res ante Mohaemmedem geſtas exponit, in Hamza, Ibn Kothaiba, aliisque, quos conſulendi equidem nullam habui opportunitatem, multa ex infima antiquitate carmina, quae ad res narratas iam confirmandas, iam exornandas ſunt inſerta.

§. 4.

„officiis; *quartus* erotica; *quintus* Satyras; *ſextus* „laudes hoſpitalitatis; *ſeptimus* tenet *εκφρασεις* „ſeu deſcriptiones rerum; *octauus* verſatur in ra„tione Arabum itinera faciendi; *nonus* jocoſa ha„bet; *decimus* denique mulierum vitia exagitat. „Primus et ſecundus horum librorum, quales ſint, „ſatis e ſpeciminibus, a Schultenſio ſeniore editis „conſtat." — Carmina hiſtorica nonnulla Arabum, ante natum Mohaemmedem fuſa, exſtant in ALBERT. SCHVLTENSII monumentis vetuſtioribus Arabum. Lugd. Bat. 1740. 4. — Conferatur b. REISKII *Taraphae* Moallakah, cum ſcholiis Nahas. Lugd. Bat. 1742. 4.

§. 4.

Carminum hiſtoricorum praeſtantia.

Quae cum ita ſint, carmina ſingularem ab initio habuerunt vtilitatem, atque in antiquiſſimis temporibus idem prope miniſterium praeſtiterunt, quod poſtea litterae explebant (9). Et *primum*

(9) PLVTARCHVS in Comment. *Cur nunc Pythia non reddat oracula carmine* ſub finem. Αμοιβη γαρ εοικε νομισματος ἡ του λογου χρεια, και δοκιμον μεν αυτου το συνηθες εςι και γνωριμον αλλην εν αλλοις χρονοις ισχυν λαμβανοντος. Ην ουν ὁτε λογου νομισμασιν εχρωντο μετροις και μελεσι και ᾠδαις, πασαν μεν ἱςοριαν και φιλοσοφιαν, παν δε παθος, ὡς ἁπλως ειπειν, και πραγμα, σεμνοτερας φωνης δεομενον, εις ποιητικην και μουσικην αγοντες. ἁ γαρ μονὸν νυν ολιγοι μολις επαΐουσι, τοτε δε παντες ηκροωντο, και εχαιρον ᾀδομενοις, αροται τε, ορνιθολογοι τε, κατα Πινδαρον. Αλλα ὑπο της προς ποιητικην επιτηδειότητος, ὁι πλειςοι δια λυρας και ᾠδης ενουθετουν, επαρρησιαζοντο, παρεκελευοντο, μυθοις και παροιμιαις επεραινον ετι δε ὑμνους, θεων ευχάς, παιωνας εν μετροις εποιουντο και μελεσιν, ὁι μεν δι᾽ ευφυΐαν, ὁι δε δια συνηθειαν. Ουκουν ουδὲ μαντικην κοσμου και χαριτος εφθονει ὁ θεος, ουδε απηλαυνεν ενθενδε τιμωμενην μουσαν του τριποδος, αλλα επηγετο,

primum quidem quae oratione ſoluta traduntur poſteritati, iam ſtudio, iam caſu in dies augentur, mutantur, corrumpuntur; quae autem carminibus inſerta ſunt, vulgi figmenta atque mutationes facile effugiunt, ac ancillante metro, tanquam fido veritatis hiſtoricae cuſtode, eadem atque inuariata poſt multorum ſeculorum decurſum ſeruantur. *Deinde* quaecunque metrice compoſita ſunt, aures animosque capiunt, memoriae firmiter inhaerent, mentique alte infiguntur. Nec facile fieri potuit, vt carmina antiquitus in rem praeclare geſtam fuſa Arabum animis elaberentur. Conſtat enim inter omnes quam honorifice, Arabes ſequiores de antiquioribus omnibus monumentis, in primis autem de carminibus (10) ſenſerint. Ad ea enim, quibus omnem linguae ſuae puritatem, grauitatem, granditatem, maieſtatemque putarunt depoſitam, recentiorum ſcriptiones examinarunt, nec defuerunt, qui haud inepto conſi-

επηγετο, μαλλων εγειρων, τας ποιητικας ασπαζομενος Φυσεις, αυτος δε Φαντασιας ενεδιδου, και συνεξωρμα το σοβαρον και λογιον, ὡς ἁρμοττον και θαυμαζομενον.

(10) Pocockii ſpecimen hiſt. Ar. p. 160.

confilio (11) ex iis Corani, quae Mohaemmedes mentitus erat, capita interpretarentur. Atque cum omnium Arabum ftudia feruerent in antiquo linguae fuae pondere et decore conferuando atque ad pofteritatem propagando, nihil profecto huic confilio accommodatius erat, quam multa eaque inuariata, ab omnibus affumentis libera in promtu habere exempla, ad quae recentiorum fcriptiones examinarentur (12).

§. ٥.

De prouerbiis Arabicis.

Et haec quidem hactenus. Progredimur ad *prouerbia*, quae multa ad hiftoriam Arabum pertinentia continere diximus. Primo autem ftatim deprecor, ne quis nomine deceptus paullo leuius de prouerbiis Arabicis ftatuat. Sunt enim, vt

(11) Diuiniora enim Corani loca Mohaemmedis profecto non funt, fed ex carminibus, ante fua tempora fufis, defumta.

(12) Lege, quae narrat SCHAMS ELDIN *Antzarita*, شمس الدين الانصاري, in hiftoria antiquitatum Arabicarum, de natalibus Grammaticae Arabicae apud CASIRIVM in Bibliotheca Arab. Hifp. p. 2.

vt equidem ex iis colligo, quae adhuc legi, disiecta carminum membra, historicorum carminum particulae sententiosae, quae seiunctae ab oratione contexta vel in prouerbia abierunt, vel ob sententiosam enunciationem prouerbii faciem prae se ferunt. Accidit enim haud raro, vt particulae carminum historicorum extra sermonem contextum positae pro prouerbiis habeantur. Hinc factum est, v. c. vt Mosaicum illud de Nimrodo: *Tyrannus venatione coram domino* (13), quod cum Ill. MICHAELIS carminis historici particulam potius esse suspicor, quam prouerbium, a multis inter prouerbia referretur. Posita autem est prouerbii indoles in eo, vt non ad rarissimos casus sed ad quotidiana alludat, eaque contineat, non quae in paucos, sed in multos dici queant. Iam vero non solum Mosaicum illud ita comparatum est, vt ad rarissimum casum alludat, cum perpauci ex venatione ad tyrannidem progrediantur, sed etiam multa Arabum prouerbia ea natura sunt, vt in perpaucas res perpaucosque homines cadant.

Quae

(13) GENES. X. 9. v. Lowth de sacra Hebr. poesi p. 77.

Quae quidem, vtcunque se habeant, prouerbia tamen Arabum, vel si reiecto nomine, quo ipsi Arabes vtuntur mauis, haecce carminum fragmenta, historica multa continent, id quod satis clare, opinor, constabit, si ea vel paullo attentius aduertimus. Nam vbique fere apparent celeberrima inter Arabas nomina, quae quomodo prouerbio occasionem dederint, vix intelligi potest, quae autem ob nominis famam merebantur, vt carminibus intexerentur. At, ingenue fateor, nos nunquam, raro saltem diuinando assecuturos esse rem gestam his quasi tenebris atque aenigmatibus inuolutam, nisi accederent scholiastae, qui rem ipsam his aenigmatibus adumbratam, suo autem tempore satis adhuc notam, subiicerent, atque prolixioribus verbis significarent, ad quae alludatur. Consulant, quibus licet, prolixum illud bonae frugis opus a *Meidanio* collectum, quod vltra sex millia prouerbiorum continet. Ipse Meidanius de suis adiecit prouerbiorum Origines, quas ex antiquissima Arabum historia repetiit; ritus indicauit antiquos, thesaurumque antiquitatis Arabicae vberrimum reclusit (14).

§. 6.

(14) Ad ea, quae de prouerbiis Arabicis diximus, illustranda, peti possunt multa ex *Specimine Prouerbio-*

§. 6.

De genealogiis in genere.

Reſtat nonnulla de Arabum genealogicis ordinibus (15) delibare, quibus res Arabum antiquiſſimae haud mediocriter illuſtrantur. Non autem dubito, fore, quibus improbabile videatur, tot

uerbiorum Meidanii, quod ex verſione Pocockiana edidit *Henricus Albertus Schultens* Lond. 1773, ad quod lectores ablegamus, ne Arabicis typis ea recudantur, quae iam publici iuris ſunt.

(15) Erant et aliis ex antiquitate populis tabulae genealogicae, quae tantum aliis nominibus veniebant. Eſt enim ingenium mortalium ſui per vniuerſum terrarum orbem ſimile, ſoletque natura duce ad ſtemmatum monumenta citius, quam ad alia hiſtorica delabi. Huc referendi Romanorum „expreſſi cera vultus, (qui) ſingulis diſponebantur armariis, vt eſſent imagines, quae comitarentur gentilitia funera, ſemperque defuncto „aliquo, TOTVS *aderat familiae eius, qui* VNQVAM *fuerat*, POPVLVS. *Stemmata vero li-* „*neis diſcurrebant ad imagines pictas*„ PLINIVS Hiſtor. Natur. lib. XXXV. cap. 2. Quid quaeſo tabulis genealogicis pictis ſimilius? — V. etiam POLYBIVS lib. VI. cap. 51.

tot nomina inde a primis Arabum conditoribus vsque ad acceptum a Syris ſcribendi artificium ita conſeruata eſſe, vt iis noſtra adhuc aetate fides haberi poſſit; non dubito, fore, qui Grönlandos mihi opponant, in genealogiis ſuis vix vltra viceſimum patrem regredientes; nec deerunt, qui Hebraeorum genealogias obſtrepant, de quibus poſt doctiſſima eruditorum certamina conſtat, nonnullos nonnunquam illarum genealogicarum catenarum articulos excidiſſe. Quare de fide ordinum genealogicorum, quos ab Arabibus accepimus, pauca monebimus.

§. 7.

DE FIDE GENEALOGIARVM.

I. *Iſmaëlitarum genealogici ordines perfecti tantum et abſoluti ſunt, ſi ad Chriſtum natum redeas.*

Ac primum ſtatim deprecor, ne quis ita de Arabum genealogicis ordinibus ſentiat, vt ipſi ſequiorum Arabum nonnulli atque cum illis Pocockius, et Salius, qui eum exſcripſit in commentationibus Corani anglicae verſioni praemiſſis, et ad hunc diem fere omnes, nec putet v. c. ab Adnano inde vsque ad Mohaemmedem Arabes omnes, ab Iſmaële oriundos, in tabulas genealogicas

logicas esse relatos. Non mirum profecto, Pocockium et qui post eum scripserunt tam praeclare de Arabum genealogiis statuisse. Ita enim Arabes sequiores, qui catenas genealogicas ex aliorum ore exceptas litteris consignarunt toto negotio genealogico functi sunt, vt nullas, quantum mihi quidem constat, temporis annorumque notulas adiicerent, in quo Arabes maxime ab Hebraeis discrepant. Moses quidem, gentis suae morem secutus, genealogiis historiam illustrauit; cum autem genealogiis solis parum lucis inferri historiis probe cognosceret, chronologiae tantum, quantum pro artis huius tum temporis infantia licebat, inseruit genealogiis, natiuitatis et mortis annos notando. Nec vituperanda sequiorum Arabum, qui genealogiis chronologiam prorsus nullam intexuerunt, quae videri posset, negligentia, cum veri nihil dissimilius sit, quam si Arabas antiquiores annorum numeros genealogicis ordinibus adiecisse arbitreris, quibus nihil labilius nihilque memoriae humanae molestius; nec si annis genealogias illustrare voluissent, sperandum erat, fore vt in hac omnis rei chronologicae difficultate atque ambiguitate, certam aliquam nobis exhibeant chronologiae rationem.

Attamen mihi, in antiquiſſimas res Iemenenſes inquirenti, contigit chronologicam lucem tenebris genealogicis inferendi inuenire rationem, qua id conſecutus ſum, vt animaduerterem, ordines Arabum Iſmaëlitarum genealogicos, vna ſerie progredientes, vix vltra Chriſtum natum recurrere. Qua autem ratione hac in re verſatus ſim, paucis declarabo.

Hamzah Isfahanenſis (16) p. 36. edit. Schultenſii perhibet: KOTZAI *Ibn Celab* aequalem fuiſſe *Fairuzis* (Pherozis) Iezdedſcherdis II. filii, qui regnum iniit A. 459. Iam igitur poſito KOTZAIO tanquam epocha datisque vnicuique aetati triginta tribus annis hunc calculum habebis.

Cf. tabb.

(16) HAMZA *Isfahanenſis* in *Schultenſii* monumentis antiquiſſ. hiſt. Arabum. p. 36. De hoc libro v. Illuſtr. I. D. MICHAELIS *orientaliſche und exegetiſche Bibliothec.* T. IV. p. 142.

Cf. tabb. geneal. nostras II. III. et IV.

	Ab anno Post	Ad annum Christum
1. Nezar	1	33
2. Modar	33	66
3. Ias	66	99
4. Modrecah	99	132
5. Chozaimah	132	165
6. Cenanah	165	198
7. Málec	198	231
8. Fahr	231	264
9. Galeb	264	297
10. Lowajj	297	330
11. Caab	330	363
12. Morrah	363	396
13. Calab	396	429
14. KOTZAI	429	462
15. Abdmenaf	462	495
16. Haſchem	495	528
17. Abdolmotalleb	528	561
18. Prophetae pater	561	594
19. Propheta	594	627.

Obiit autem Mohaemmedes A. Chr. 631.

Poſſumus igitur calculo huic fidem habere. Iam ex hac tabula poſſunt omnes reliquae Iſmaëlitarum genealogicae tabulae luce chronologica

illuſtrari, cum omnes, quotquot nomine nobis proditi ſunt, ſe ad *Nezarum* tanquam communem patrem referant. — De tabulis Iemenenſium infra nonnulla monebimus (§. 12.).

§. 8.

II. *Arabes antiquiores exhibent exempla inſignis poteſtatis res multas memoria tenendi.*

Deinde etiam deprecor, ne quis antiquioribus populis obtrudat eandem, qua nos nunc laboramus, rem aliquam ſiue memoriae mandandi, ſiue mandatam retinendi difficultatem, noſtra animos excolendi ratione natam atque adultam. Conſtat inter omnes, Homeri diuina carmina ab ipſo Homero nunquam litterarum elementis concepta, ſed memoriae Homeridarum (17), qui dicuntur, tradita atque ab iis per nonnulla ſecula, donec litterarum ſignis conſignarentur, recitata eſſe; conſtat, Lycurgum leges ſuas non ſcriptas, ſed memoriae mandatas reliquiſſe; conſtat tandem, ſolemne fuiſſe antiquiſſimis poëtis in ipſis carminum auſpiciis Mnemoſynis (18) opem implo-

(17) IOSEPHVS contra Appionem lib. I. cll. PINDAR. *Nem.* II. 1. ad quem locum v. *Schol.*

(18) Romanos in antiquiſſimis temporibus Mnemoſynen

implorare, ne carmen recens fuſum neque litteris conceptum memoriae elabi patiatur. At quid vrgeo Graecorum exempla, quid moror domeſticum Arabum inſignis facilitatis rem memoriae mandandi, mandatamque retinendi exemplum proponere, quod in praeceptis Mohaemmedis ediſcendis prophetae amici exhibuerunt? Eſt enim res peruulgata, Corani ſelecta capita diu memoriae comitum Prophetae depoſita fuiſſe, donec in vnum quaſi corpus, quod Coranus inſcribebatur, colligerentur.

Poſſet autem paullo ſubtilior monere aduerſus me, ſpecimina quidem narrari praeclarae multa memoria tenendi poteſtatis, quae autem ad quaeſtionem propoſitam nihil faciant. Multo enim facilius fuiſſe carmina Homerica, verſus Solonis, et Corani capita memoria tenere, quorum verba certis interuallis iuſtaque numerorum moderatione demenſa fuerint, quam nominum moleſtam ſeriem.

 Id

ſynen coluiſſe teſtis eſt DIODORVS *Siculus* libr. VII. p. 478. edit. Sylburgii. Poſteriori autem aetate, vbi iam peruagata erat litterarum cognitio, ſacra haec intermiſſa ſunt, ſaltem eorum in ſequioribus Romanis ſcriptoribus nulla mentio.

Id quidem lubens dabo, Graecorum carmina numerorum gratiſſimis interuallis demenſa ita ſua natura comparata fuiſſe, vt memoria ſingula attente perciperet, nec percepta facile elabi pateretur. At totus nego, Arabas in Corani, quae vulgo putantur, carminibus memoriae mandandis numerorum moderatione adjutos eſſe, cum illis, aequali lege demenſis, auribusque gratiſſimis interuallis prorſus careant Corani capita, rhythmusque tantum vnus idemque per vniuerſum caput non ſine ſumma aurium moleſtia redeat. Deinde nec aequali verſuum interſtitio ſuccurrebatur Mohaemmedis praecepta memoriae mandaturis, cum nunc poſt breuiſſimos longiſſimi, nunc poſt longiores breuiores verſus promiſcua prorſus ratione recurrerent; neque verſus ac ſententiae rerum et argumenti neceſſitudine multum inter ſe cohaererent. Iam vero neſcio an difficilius ſit, viginti et quod excedit nomina, quam vnicam memoria tenere Corani Suram, quae ducentis trecentisue verſibus abſoluitur.

§. 9.

§. 9.

III. *Genealogici Arabum ordines carminibus intexti erant.*

Silentio autem hoc loco praeterire nequeo, *Iallaloddini* memorabilem locum, quo Arabes genealogicos ordines carminibus intexuisse perhibentur. „Poëmata, inquit, Ibn Phares, re- „ferente Iallaloddino in libro Mezhar cap. 29, „fuisse Arabibus commentariorum vice, quorum „beneficio *imperturbatae seruabantur genealogia- „rum series*, ne obliuioni traderentur res gestae „memoria dignae cauebatur, et e quibus linguae „peritia hauriebatur (19).„ Cui testimonio si fides habenda, erat certe fidus veritatis genealogicae custos numerus poëticus. Ne autem quis paullo leuius de his carminibus sentiat, meminerit, Homerum etiam nauium Catalogum Iliadi, Hesiodum autem Deorum recensum Theogoniae inserere.

(19) Pocockivs in specim. histor. Arabum p. 158.

§. 10.

IV. *Dedecori habebatur, Genealogias ignorare.*
V. *Quaelibet tribus genealogum habuisse videtur, qui omnem vitam genealogiis consecrabat.*

Etiam id in hac quaestione de genealogiarum Arabicarum fide notatum volo, quod nihil Arabicae genti sanctius fuit, quam maiorum nomina animo tenere, nihilque turpius, quam ea ignorare (20). Atque hac consuetudine factum est, vt multorum menti ac memoriae tanquam custodi maiorum nomina, non in vniuersum omnia, sed

(20) Enumerat Ibn Kothaibah in ipso libri كتاب المعارف initio ea, quorum nemo Arabum imperitus esse debeat: et post haec addit: فاني رايت من الاشراف من يجهل نسبة ومن ذوي الاحساب من لا يعرف سلفة ومن قريش لا يعلم من اين تمسة القربي برسول الله والرحم بالاعلام من صحابتة Vidi autem Scharifos, qui genus suum ignorabant, oriundos ex familia inclyta, qui maiores suos ignorabant, ex Koraischitis quosdam, qui nesciebant, qua ex parte Apostoli Dei consanguines essent, et aliorum ex sodalibus eius, *et quae sunt reliqua.* —

ſed aequali quadam lege inter ſingulos diſtributa committerentur.

Praeterea fuiſſe videntur in vnaquaque maiori tribu quidam, qui totius tribus maiores cum omnium minorum gentium genealogiis accurate tenerent, et, vt id conſequerentur, genealogiis omnem vitam atque ſtudium conſecrarent. Sic, vt alios praeteream, accepimus in Genealogias totum incubuiſſe *Dagfal* Ibn Hentalah (21), qui ante Mohaemmedem floruit, et poſt ſuperſtitiones eius conſtitutas *Abu Nazr* Mohaemmed (22); hinc factum eſt, vt Ibn Kothaibah, ex

(21) De *Dagfal* Ibn Hentalah v. infra §. 14. vbi ex genealogiis Arabicis nonnulla ad hiſtoriam Arabum litterariam colligemus.

(22) De Abu Nazr exſcribam inſignem IBN KOTHAIBAE locum, ex eo capite, quod de genealogis agit, deſumtum. الكلبي صاحب التفسير ويكني ابا النصر وكان جده بشر بن عمرو وبنوه عبد الرحمن والسايب وعبيد شهدوا الجمل وصفين مع علي بن ابي طالب وقتل السايب مع مصعب بن الزبير وشهد محمد بن السايب الجماجم مع

ex cuius aureo libello infra tabulas Arabum genealogicas dabimus, nonnunquam ad auctoritatem

مع ابن الاشعث وكان نسابا عالما
بالتفسير وتوفي بالكوفه سنة ست واربعين
ومایة وابنه هشام بن محمد بن السايب
الكلبي كان من اعلم الناس بالانساب
وذكر عن ابيه انه قال دخلت علي ضرار
بن عطارد مع ولد حاجب بن زرارة
بالكوفه واذا عنده رجل كانه حرب يتمرغ
في السحر فغمزني ضرار وقال سله ممن انت
فقُلْتُ ممن انت فقال ان كنت نسابا
فانسبني فاني من تميم فابتدات من تميم
حتي بلغت الي غالب ابيه قلت ولد
غالب هماما فاستوي جالسا وقال والله
ما سماني به الساعة من نهار فقلت اني
والله لاعرف اليوم الذي سماك فيه ابوك
الفرزدق فقال واي يوم قلت بعثك في
حاجة فخرجت تمشي وعليك مستقة لك
فقال والله لكانك فرزدق دهقان قرية
قد سماها بالجبل فقال صدقت
والله ——

CAL-

tem genealogorum Modharitarum prouocaret.

CALBITAE. Commentator Corani, qui vocatur Abu Nazr. Auus eius fuit Baſchr Ibn Amru, cuius filii erant Abdolrahman, Saib, et Obaid. Praeſentes erant in praelio cameli et Tzofain cum Ali Ibn Abitalleb. Et occiſus eſt Saib cum Motzab Ibn Zobair. Et praeſens fuit Mohaemmed Ibn Saib (in praelio, *ni fallor*) Dſchamadſcham cum Ibn Aſchas. Erat autem genealogus et peritus in explicatione (forſan Corani), et mortuus eſt Cufae anno 146. Et filius euis Haſcham Ibn Mohämmed, Ibn Saib Calbita fuit verſatiſſimus in genealogiis, et narrauit de patre ſuo (patris verbis), Veniebam aliquando ad Dorar Ibn Otared cum filiis Hadſcheb Ibn Zorarah Cufam, et deprehendebam apud eum quendam, qui veſtimenta exuerat, vt in calore oleo ſe inungeret. Et innuit mihi Darar et: interroga eum, inquit, ex qua gente ſit? Et dixi: ex quanam gente es? Et dixit: ſi genealogus es, indica genealogiam meam, equidem ſum Tamimita. Incipiebam igitur a Tamimitis, donec perueni ad Galeb patrem eius. Et dixi: genuit Galeb Hamam. Poſt haec erigebat ſe, (qui antea, vt Orientales ſolent, recubuerat) atque: per Deum, inquit, non me ita nominauit, niſi horam ex die (i. e. ſemel). Ego autem, per

ret(23). Quemadmodum igitur Solon ex Homeridiarum ore exceptas Homeri rapſodias litte-
ris

per Deum, dixi, noui diem quo te pater tuus hoc nominauit nomine ſc. Farzdak. Et dixit: Quonam die? Miſit te, reſpondebam, in negotio aliquo, et exiiſti indutus veſtimento dilacerato, et dixit, per Deum ſimilis tu es Farzdako praefecto pagi, quem nominabat, in Parthia. Atque, per deum, inquit, vera narras. — — —

(23) IBN KOTHAIBAH, vbi genealogias Iemenenſium perſequitur: وولد حشم بن جذام خمسة ابطن منهم حطمه ونساب مضر يزعم انهم من بني اسد بن جزيمه * Ab Haſchamo fil. Dſchodzami ſunt quinque familiae minores, ex quibus vna Hotamitarum. *Genealogi* autem *Modharitarum* affirmant, eos pertinere ad filios Aſad Ibn Dſchozaimah. — — Et paullo poſt: وولد آنمار بن سبا ولدا فخالفوا خثعما وبجيلة ونساب مضر يزعم ان بجيلة وخثعما ابنا انمار بن نزار فجر انمار بن سبا نسبهم الي سبا باسم ابيهم* Ammar genuit Sabam filium et foedere ſe junxerunt (ſc. poſteri eius) cum Chaſaman et Badſchila. *Modharitarum* autem genealogi affirmant Badſchi-
lam

ris consignasse fertur; ita nec improbabile est, amicos Mohaemmedis, qui historias antiquissimas atque genealogias Arabum vocum signis exceperunt, tales genealogicorum ordinum inprimis peritos consuluisse, nominumque catalogos reliquisse, quibus magna fides haberi possit.

Tandem, cum tota historiarum scientia ante Mohaemmedem genealogiarum atque conflictuum accurata notitia absolueretur, illeque perfectus in omni historia diceretur, qui in genealogiis, et tribuum bellis, quae dicuntur, bene versatus erat; quid, quaeso, cum maiori iure exspectandum erat, quam perfecti genealogici ordines atque cum illis paullo certior de fortuna totius Arabicae gentis traditio.

§. II.

Pericula quaedam singularia, quibus genealogicae series expositae sunt.

Quae hactenus de genealogiarum ab Arabibus pertextarum fide disputauimus, ne, quaeso, ita

lam et Chasaman esse filios Anmari Ibn Nazar; Anmarum autem fil. Saba ad se traxisse genus Sabae propter nomen patrum (i. e. propter nominum cognationem).

ita interpreteris, ac si expedita omnia, nec quidquam dubitationi expositum arbitraremur, quod ex omni antiquitate esset sane singulare exemplum. Omnia enim, quae vnicuique monumentorum, quotquot nobis ex antiquitate supersunt, superanda fuere discrimina, nec tabulae Arabum genealogicae effugere potuerunt. Quid, sodes, facilius accidere potuit, quam vt nomina tot labiis appellata tandem praepostere efferrentur, praepostere deinde appellata litteris consignarentur, tandem litteris consignata librariorum negligentia iam omitterentur, iam corrumperentur.

Sed peculiaria quaedam natura sua imminent genealogiis pericula, quae nec facili negotio tolli possunt. Et primum quidem posteri odio in maiores ducti stemma incorruptum exhibere nonnunquam dubitauerunt, noluerunt-que inter maiores celebrari, qui contra patrios mores peccauerint. Tale quid in genealogiis facile accidere posse, iam olim arbitratus est doctissimus Iaksonius, qui cum Cainanis nomen (Gen. XI.) omissum animaduerteret, maximamque inter Cainanis et Canaanis nomen affinitatem latinis litterarum signis deceptus intercedere

cedere putaret, odio ac deteſtatione Canaanis, a Noacho male precati, factum eſſe ſuſpicatus eſt, qua in re me facilem haberet, niſi alia grauiora obſtarent (24). Nec tamen me hoc temere de Arabum genealogiis ſumere, facile quisque mihi dabit, cum id ipſum Arabum auctores aperte fateantur, atque, vt vnius tantum auctoritate vtar, Ibn Kothaibah ſe nonnullos noſſe affirmet, qui ſe ad alios maiores retulerint, ne genuinorum recenſu leuis notae maculam ſibi contraherent (25).

Deinde nec diſſimulo, fieri potuiſſe, vt artificia (26) quaedam adhiberentur et eodem iure ac

(24) IOH. DAV. MICHAELIS comment. *de Chronologia Moſis poſt diluuium.*

(25) IBN KOTHAIBAH in initio libri: ورايت من رغب بنفسه عن نسب دق فانتهي الي رجل لم يعقب * Vidi, qui deteſtatus eſt ſtirpem ſuam obſcuram et ſe retulit ad virum qui nullam ſobolem reliquit.

(26) Profecto non poteſt negari populis antiquioribus, qui hiſtorias genealogiis illuſtrabant, varia in promtu fuiſſe artificia, quibus memoriae humanae imbecillitati ſuccurrerent. Cuius rei in-

 dicio

ac fine, quo Matthaeus diuinus ſcriptor (I. 8.) in Chriſti genealogia Achaziam, Ioaſum, et Amaziam tranſiliit, nonnulli nonnunquam articuli in Arabicis ſtemmatibus omitterentur atque hac ratione monumenta genealogica impeditiora difficilioraque redderentur. Cuius quidem rei licet apertum indicium nullum habeamus, lectores tamen monendos putauimus, ne infringi arbitrarentur genealogiarum fidem, ſi iis forte vnum alterumue occurrat.

Praetermittimus iam, quantum valeant rerum conuerſiones ad ordines genealogicos turbandos, qua de re alio loco diſputandi oportunitas dabitur (v. infra §. 12.). Id vnum adhuc monemus, *ὁμονυμιαν* tum ſingulorum in genealogiis occurrentium, tum tribuum vniuerſarum vel ipſis Arabibus lubricum reddidiſſe ſtudium genealogicum (27). Etenim ſi qui alii, certe Orientales, ſolebant

dicio eſſe poteſt locus PHILONIS de poſteritate Caini p. 259. edit. Mang.

(27) V. c. v. ſupra loca ex Ibn Kothaiba exſcripta p. 30. n. 23. — Hinc tribus Koraiſchitarum, ex quibus Mohaemmedes oriundus erat, cognomen فهر Fahr ſibi impoſuit, ne cum aliis Koraiſchitis confunde-

lebant in nominibus filiis imponendis maiorum rationem habere (28), iisque nomina ſatis celebria vel ex vltima antiquitate repetita, boni ominis cauſa imponere. Hinc v. c. factum eſt, vt ſequiores Hebraeorum genealogiae eadem nomina exhiberent, quae geſſerant viri antiquiſſimis temporibus clari. Hinc Saladielis et Sorobabelis nomina ſaepius in ſacris litteris recurrunt (29), hinc Ethan, Hemanque Zerachi filii, Dauidi et Salomoni coëui, quorum carmina Dauidicis odis mixta legimus, a Zeracho, Iudae patriarchae filio, eiusque filiis Ethane et Hema-

funderetur. — Matth. I. 11: Chriſti genealogia nominum יויכים et יויכין ſumma cognatione intricata facta eſt. v. Bowyer Coniecturarum farraginem, verſ. germ. p. 4.

(28) Non tempero mihi, quin hoc loco Luc. I. 61. mentionem faciam, vbi ad hanc conſuetudinem alluditur. Repugnatur Eliſabethae, filio Iohannis nomen impoſiturae, a cognatis, qui ad hanc recuſationis cauſam prouocabant, ὁτι ουδεις εϛιν εν τῃ συγγενειᾳ σου, ὁς καλειται τῳ ονοματι τουτῳ.

(29) 1. Parl. III. 19. Matth. I. 12. Luc. III. 27.

ne denominati ſunt, ſaltem videntur denominati (30).

Idem autem apud Arabes obtinuiſſe, docent tot communium nominum exempla, et quae de communibus his nominibus ortae ſunt inter ipſos Arabes pugnae (31).

Thaim commune eſt nomen,
Thaim *Galeb*, Thaim *AbdMenat*, Thaim *Allat* Thaim *Badſchilah*.
Mazen quinque tribus dictae,
Mazen *Fazarah*, Mazen *Chaſafah*, Mazen *Saſaah*, Mazen *Schaiban*, Mazen *Gaſſan*.
Iarbua geminae dictae,
Iarbua *Thamim*, Iarbua *Dzobjan*.
Gatfan geminae,
Gatfan *Saëd*, Gatfan *Kaſchir*.
Mozainah geminae,
Mozainah *Modar*, Mozainah *Dſchadis*.

Rabia

(30) 1. Paral. II. 6. Pſ. LXXXVIII. et LXXXIX. LOWTH de ſacra Heb. poëſi p. 70. not. 9.

(31) v. ſupra p. 30. not. 23. — Solemne etiam fuit Arabibus vel priuatis a ſimili virtute nomina *ὁμωνυμα* imponere. v. c. Maa Samai V. infra *Ibn Kothaibae* hiſtoriam Regum Hirtenſium.

Rabia geminae,
Rabia *Fars*, Rabia *Dſchauf.*
Anmar geminae,
Anmar *Saba*, Anmar *Bogidh.*
Schokrah geminae,
Schokrah *Dobbah*, Schokrah *Thamim.*
Wajel geminae,
Wajel *Hemb*, Wajel *Aſor.*
Sahm geminae,
Sahm *Ganem*, Sahm *Morrah.*
Dojol geminae,
Dojol *Schenn*, Dojol *Wadiah.*
Bahſah geminae,
Bahſah *Solim*, Bahſah *Dobajah*
Zaman geminae,
Zaman *Malec*, Zaman *Taimallah.*

§. 12.

De tabulis genealogicis Iemenenſium.

Hactenus de genealogicis Iſmaëlitarum ordinibus, quos abſolutiores, perfectioresque eſſe diximus iis, qui de Ioktanidis, Arabiae felicis incolis, circumferuntur. Iam cauſae exponendae, quibus factum arbitramur, vt ſtemmata Ioktanidarum imperfecta et turbata nobis exhiberentur.

Primum igitur magnis, quae haud ita multo post Christum natum, Ioktanidis exhauriendae erant, calamitatibus rerumque conuersionibus, diluuio Sabaeo exortis, factum est, vt genealogici Iemenensium ordines misere turbarentur. Res autem est peruulgata atque ex sacris Hebraeorum libris, qui historias conscripturi ita negotium instituebant, vt genealogias pertexere viderentur, satis cognita, quantum valeant pericula rerumque conuersiones ad ordines genealogicos turbandos. V. c. auctor libri Ruth (32) in maioribus Dauidis recensendis ita versatur, vt trecentos annos tribus aetatibus impleat. Quantopere autem ordo iste genealogicus laboret, non solum post Süsmilchium aperte intelligitur, qui tabulis, quas concinnauit, effecit, vt iam accurate sciamus, nullam aetatem plures, quam triginta tres complecti annos, sed etiam olim iam Iudaeus non nemo (33) sensit, qui, diuini scriptoris auctoritati consulturus, ad pietatem trium Dauidis maiorum recurrit, eosque tanquam pietatis singulare praemium liberos centesimo anno procreandi potestatem a Deo tulisse, satis ridicule

(32) RVTH IV. 20-22.
(33) V. TARGVM ad h. l.

cule mentitus eſt. Vt autem his, quae vulgo eſſe ſolent, ridiculis Iudaeorum figmentis, loco, qui videtur, deſperato ſuccurratur, profecto non eſt neceſſe, vbi memineris, ſcriptorem diuinum eos nobis exhibuiſſe Dauidis maiores, qui tabulis Iudaeorum genealogicis inſerti omnibusque ſatis noti erant, omiſſis eorum nominibus, quorum memoria, dum in Moabitarum ditione exules viuebant, fuerat exſtincta.

Deinde, qui res ab Arabibus, tum Iſmaëlitis, tum Ioktanidis antiquiſſimis temporibus geſtas litteris primi conſignarunt amici Mohaemmedis omnes, quotquot nobis innotuerunt, ex Ismaële oriundi erant, ac ne quidem ſequiori aeuo, poſtquam multarum, quae Mohaemmedis aetate adhuc ſatis notae erant, rerum memoria penitus interierat, ex Arabia felici multi prodierunt hiſtoriarum auctores. Iam vero amici Mohaemmedis, qui primi ex eorum ore, qui traditionibus, quas dicunt, memoriae mandandis omnem vitam atque ſtudium conſecrauerant, exceptas litteris conſignarunt hiſtorias, pie ſancteque negotio ſuo functi videbantur, ſi Iſmaëlitarum memoriae conſuluiſſent. Quo factum, vt Iemenenſium, ſequiori aeuo vocum ſignis excepti,

ordines genealogici ita turbati atque imperfecti ſint, vt antiquiſſimis Arabum hiſtoriis parum lucis afferant.

§. 13.

De vtilitate ſtemmatum Arabicorum.

De vtilitate tabularum genealogicarum iam multa monere, non eſt neceſſe. Fuit, de quo noſtrae aetati gratulamur, tempus illud, quo Majmonidi ſtemmatum Arabicorum ſtudium inter inania, inutiliaque referre impune licebat. *Primum* enim noſtra aetate conſtat inter omnes, quantum proſint ad poetas Arabum interpretandos, quantum ad hiſtoricos Arabum libros intelligendos, qui omnes hiſtorias ita conſcripſerunt, vt genealogias pertexere viderentur.

Reges — inde a monte niuis vsque ad latus Obollae (129) — qui imperabant ſeruis et ingenuis.

Ex filiis Hareſi Alarâdſch (claudi) fuit quoque Amer Ibn Alhares, ad quem etiam Nabega ſe contulit, poſtquam Naëmanem fil. Mondzari deſeruerat. De eo quidem cecinit Nabega:

Mihi exhibuit Amru beneficium vnum poſt alterum: nec patri eius fuit domina ſcorpionis. *i. e. nec pater eius potuit illiberalitatis accuſari.*

L 5 Nomi-

vrbem ad ſinum Perſicum ſitam, hoc eſt, inde a mari mediterraneo vsque ad Perſicum.

وكان يقال لعمرو ابو شمر الاصغر
ومن ولده المنذر بن الحارث والايهم (230)
بن الحارث والايهم هذا ابو جبلة بن
الايهم وجبلة اخر ملوك غسان وكان
طوله اثني عشر شبرا اذا ركب
مسحت قدمه الارض وادرك الاسلام
فاسلم في خلافة عمر بن الخطاب ثم
تنصر بعد ذلك ولحق بالروم وكان
سبب تنصره انه مر في سوق
دمشق فاوطا رجلا فرسه (231) فوثب
الرجل فلطمه فاخذه (232) الغسانيون
فادخلوه على ابي عبيدة بن الجرح
فقالوا هذا لطم سيدنا فقال ابو
عبيدة بن الجراح البينة ان هذا
لطمك قال وما تصنع بالبينة قال
ان كان لطمك لطمته بلطمك قال
ولا يقتل قال لا قال ولا يقطع
يده قال لا امر الله بالقصاص فهي
لطمة بلطمة فخرج جبلة ولحق
بارض الروم وتنصر ولم يزل هنك الي
ان هلك *

EX-

(130) Addidi copulam, qua carebat, والايهم.

(231) Legendum cum b. *Reiskio* in nota marginali فرفسة.

(232) B. *Reiskius* in nota marg. emendat اخذوه.

Emend.

Nominabatur quoque hic Amru Abuſchamar minor. Ex filiis eius fuit Mondzar Ibn Hares et (130) Alaihem Ibn Hares, qui filium habuit Dſchabalah Ibn Alaihem. Dſchalabah autem vltimus fuit regum Gaſſanitarum, qui ſtaturam duodecim ſpithamarum habebat, et equo inſidens pedibus attingebat terram. Vixit ad Islamiſmi tempora vſque, eique nomen dedit ſub Chalifatu Omari Ibn Hataf. Poſt haec transiit ad Chriſtianiſmum et fugit Conſtantinopolim. Cauſa autem, qua commotus, in Chriſtianorum partes transiuit, haecce fuit. Inter ambulandum in foro Damaſci calcabat aliquando (231) et pede percutiebat virum, qui in eum inſiliit, atque paſſa palma percuſſit. Quo facto eum prehenderunt (232) Gaſſanitae duxeruntque ad Ibn Obeidam Ibn Dſcharah atque: hic, inquiunt, percuſſit principem noſtrum. Quibus auditis Abu Obeïdah Ibn Dſcharah: manifeſta, inquit, res eſt, te hunc percuſſiſſe. Reſpondit Dſchalabah: Cur tu inquiris in rem manifeſtam? Reſpondit rex: vt, ſi tibi alapam inflixerit, tu idem faceres.— „Non occidetur?„ Minime. „Non truncabitur manu?„ Neutiquam! Deus enim dixit in Corani capite de *talione:* colaphum pro colapho. Quibus auditis exiit Dſchalabah, fugit in terram Graecorum, Chriſtoque nomen dedit, neque, dum in viuis eſſet, Chriſtianam deſeruit religionem.

Ex-

Emend. quidem non opus eſt, (v. Ill. Michaelis Gramm. Arab. p. 139.) poteſt tamen ob ſequens فانخلوه excuſari.

EXCERPTVM
EX NVWEIRII

ذكر اخبار ملوك الشام
من ملوك قحطان

قال عبد الملك بن عبدون بكتابه المترجم كمامة الزهر وصدفة الدرر ومن اهل اليمن من خرج منها وملك الشام وهم آل جفنة واولهم الحارث بن عمرو بن عامر بن حارثة بن زيد بن كهلان بن سبا بن يشجب بن يعرب بن قحطان ويكني الحارث بابي شمر ثم تداولها منهم سبع وثلاثين مدة ما ملكوا من السنين ستماية سنه وستة عشر سنة الي ان كان اخرهم جبلة بن الايهم وهو الذي تنصر في ايام عمر بن الخطاب بعد ان كان اقبل علي عمر واسلم ثم انه كان في الطواف فداس رجل طرف ردايه فلطمه جبلة فاتي الرجل

EXCERPTVM
EX NVWEIRII
Hiſtoria Regum Syriae ex Ioktanidis oriundorum.

Abdo'l Malec Ibn Abdun in Commentario in collectionem florum et concham margaritarum auctor eſt, ex populo Iemenenſe quendam profectum regnum in Syria eſſe auſpicatum. Reges autem Syriae erant ex gente Dſchofna oriundi, eorumque primus *Hares* fil. Cahlánis, fil. Sabae, filii Ieſchhabi, fil. Ioktanis. Fuerunt autem reges triginta ſeptem, qui ſexcentos et ſedecim annos regnando impleuerunt, ſi progreſſus fueris vsque ad vltimum eorum *Dſchalabam* fil. Alaihemi, eundem, qui tempore Omari fil. Hatabi Chriſto nomen dedit. Ante hoc tempus ad Omarum acceſſerat Islamismumque profeſſus erat. Factum eſt enim aliquando inter deambulandum, vt vir nobilis eum calcaret, et Dſchalubah colapho vlciſceretur iniuriam. Iam venit ille ad Omarum, qui permittebat, vt ei Dſchalabam

الرجل عمر فطلب جبلة ليقيده
منه فتنصر جبلة ولحق بهرقل صاحب
القسطنطينية فاقطعه هرقل الاموال
والضياع والرباع ثم ندم جبلة علي ما
كان منه *(233)

(233) Ambrumpo hic telam *Nuweirii.* Nolo enim
ineptiſ-

labam denuo calcaret, vt eum talione puniret. Post haec Christianam religionem amplexus est Dschalabah, adhaesitque Heraclio, Caesari Byzantino, qui ei opes, seruos et domum assignauit. Postea autem aegre tulit Dschalabam, quod de eo penderet. — (233)

ineptissimas nugas, quae post haec de Dschabala narrantur, exscribi typis.

IV.

HISTORIA REGVM

HIRTENSIVM

EX

IBN KOTHAIBA.

IV.

ملوك الحيرة

قال اول ملوك الحيرة ملك بن فهم بن غنم بن دوس من الازد وكان خرج الي (234) اليمن مع ابن عامر مزيقيا لما احسوا سيل العرم فلما صارت الازد الي مكة وغلبوا جرهم علي ولاية البيت اقاموا زمانا ثم خرجوا الا خزاعة فانها اقامت علي ولاية البيت (235) فصار ملك بن فهم الي العراق فاقام مالكا علي العراق عشرين سنة

جذيمة بن ملك بن الابرش (236) وملك بعده ابنه جذيمة وكان يقال له الابرش والوضاح لبرص كان به وكان ينزل الانبار

(234) خرج الي Error librarii apertus. Lege خرج من, quam lectionem tum historia, tum sermo contextus requirit.

(235) Vide supra p. 79-82.

IV.

REGES HIRTENSES.

Primus regum Hirtensium fuit *Malc* fil. Fahmi nepos Ganemi, filii Dausi ex Azditis, egressusque est (234) ex terra Iemen cum Ibn Amir Mozaikia, cum sentiret rupturam catarractae. Et quum Azditae Meccam peruenissent, vicissentque Dschorhamitas, ob templi Meccani curam aliquot tempus ibi commorati sunt. Postea autem rursus egressi sunt exceptis Chozaitis, qui templi curam susceperunt (235). Malc Ibn Fahm Erakam petiit regnumque ibi viginti annos tenuit.

Dschozaimah Ibn Malc, (236) Abrasch. Ei successit filius Dschozaimah cognomine Abrasch (leprosus) propter lepram, qua laborabat, ita dictus, qui residebat quidem Anbarae, nonnun-

M 2 quam

(236) In Arabico textu legitur بن, quae vox delenda est, vt patet non solum ex sequentibus, sed etiam ex aliis locis, vbi Dschozaimae mentio iniicitur.

الاذبار ويأتي الحيرة ثم يرجع وكان لا
ينادم احدا ذهابا بنفسه وينادم
الغرقدين واذا شرب قدحا صب لهذا
قدحا (237) وهو اول من عمل المنجنيق
واول من حذيت له النعال واول من
رفع له الشمع وكانت له اخت يقال لها
ام عمرو وكان احصن خدمه (238)
واقربهم منه فتي من لخم يقال له
عمرو بن نصر (239) بن ربيعة اللخمي
ويقال

(237) Poſt لهذا قدحا inferendae adhuc voces, ولهذا قدحا, quae a librario propter ὁμοιοτέλευτον omiſſae ſunt. v. NVWEIRII caput *de regibus Hirtenſibus*, et quidem vbi de Dſchozaima.

(238) Reiske in nota interlineari: „Legendum اخص„ quam emendationem in verſione ſecutus ſum.

(239) Caſum hunc ſic enarrat ABVLFEDA in *Hiſtoria vniuerſ.* vbi recenſet ملوك الحيرة *Reges Hirtenſes.* „Erat *Dchozaimae* Alabraſch ſoror, cui nomen *Rikaſch.* Ea efflictim amabat quendam Iadenſem, quem „interioris admiſſionis amicum ſibi fecerat Dſchozaimah, cuique nomen erat Adi Ibn Nader[نضر]
„(Ibn

quam autem Hirtam feceffit. Neminem compotorem adfciuit propter arrogantiam; compotores autem affumfit Al Farkadin (geminas vaccas, fidus) et cum biberet, libabat vnicuique (237) fcyphum. Idem is primus erat, qui fecit arietem, et geftauit calceum, primusque, qui praeferendos fibi curauit cereos. Habebat fororem nomine Omm Amru. Minifter (238) eius interioris admiffionis erat iuuenis Lachmita, nomine Amru Ibn Natzr (239), filius Rabiae. Alii

 quidem

„(Ibn Kothaiba habet قصر, quae lectio praeferen-
„da fit, nefcio) Ibn Rabiah. Is viciffim eam re-
„damabat; quumque a poculis effet et compota-
„tionibus Dfchozaimae, conftituerat cum eo Ri-
„kafch, vt eam elocari fibi peteret a fratre Dfcho-
„zaima tum, quum viciffet eum vinum. Id cum
„feciffet, votis eius aunuit Dfchozaimah. Tum ille
„ad Rikafcham vt vxorem intrare. At fequenti
„mane Dfchozaimah, quum quid factum effet,
„refciuiffet, rem aegerrime tulit. Aufugit itaque
„Adi praedictus. Alii dicunt, Dfchozaimam in
„eum infiluiffe, eumque obtruncaffe. Rikafch
„vero quum ex Adi vterum ferret, eam fic ador-
„tus eft Dfchozaimah:

„Indica mihi Rikafch, neque mentiaris mihi:

„Cum

ويقال ان نصرا اباه هو نصر بن
الساطرون ملك السريانيين (240) صاحب
الحضر وهو جرمقاني من اهل الموصل
من رستاق يدعى باجرما وكان جبير
بن مطعم يذكر انه من بني قنص بن
معد بن عدنان وانه زوج عدي بن نصر
اخته ام عمرو وهو سكران وادخله
عليها فوطئها فلما صحى ندم على ذلك
وامر بعدي فضربت عنقه فحملت اخته
بعمرو بن عدي فادبه وعطف عليه وان
الجن استهوته فقطع فقده عليه فجعل
لمن اتاه به حكمه فرده عليه بعد
زمان مالك وعقيل واحتكما منادمته فنادماه
اربعين سنة فحدثاه
فما اعادا عليه فلما رآه طوقته امه
بطوق

„Cum nobili ſcortata es', an cum ignobili?
„An magis cum ſeruo, at tu digna ſeruo.
„An et cum viliore, at tu digna viliore.„

Arabica exſtant in SCHVLTENSII *monumentis vetuſtioribus Arabiae* Lugd. Bat. MDCCXL. p. 34. 35.

quidem referunt, patrem eius fuisse Natzrum filium Satruni, principis Syrorum (240), auctoris arcis Satrun. Idem est, qui alias Dschermakanita, oriundus ex populo Mosulensi, ex vico, qui Naharma dicitur. Commemorat Habir Ibn Mothem, fuisse eum ex posteris Kantzi, qui erat filius Maadi, nepos Adnan. Dschozaimah igitur in matrimonium dedisse fertur sororem suam Omm Amru, Adio Ibn Natzr, cum ebrius esset. Ipse Adium duxit ad eam, qui et compressit eam, cum autem ad sanam mentem rediisset, poenituit eum rei, iussitque Adium decollari. Attamen soror eius conceperat Amrum Ibn Adi, quem summo amore propensissimoque animo complexus est, et cum Daemon eum corripuisset et abduxisset; promisit illi, qui eum reduxerit, publice praemium, quod quisque sibi elegerit. Post aliquot tempus reduxerunt eum Malc et Akil et expetierunt sibi veniam compotandi cum illo, qua etiam vsi sunt per quadraginta annos, nec ex narrationibus vllam repetierunt. Amrum autem, qui redux factus erat; induit mater torque. Cum autem videret eum

M 4 auun-

(240) v. Golium ad Alfragani elementa astronomica p. 17.

بطوق فلما راي خاله الطوق اللحية قال
شب عمرو عن الطوق فذهبت مثلا
وخطب جذيمة الزبا (241) وكانت بنت
ملك الحيرة وملكت بعد زوجها فاقبل
اليها فلما دخل عليها قتلته وطلب
عمرو

(241) Abvlfeda l. c. apud Schvltensivm l. c. p. 36. suppletaliquo modo Nostri narrationem. „In diebus Dschozaimae Mesopotamiae et superioris Euphratis, nec non lateribus Orientalibus „Syriae, praeerat Amalekita aliquis cui nomen „Amru, Ibn Darb, Ibn Hassan. Inter eum et „Dschozaimam bella gesta: victore tandem Dschozaima, occisoque Amru praedicto. Isti Amru „filia erat Zobba cognomento. Nomen ei Najila. „Haec post patrem rerum potita, super Euphrate duas vrbes adificauit e regione oppositas: eademque aggressa Dschozaimam, eum in amorem „sui prolectauit. Sic fascinatus ad eam perrexit. „At illa necem patris vlta est. Interfecto Dschozaimae successit nepos ex sorore Rikasch, Amru „Ibn Adi Ibn Nadr (Ib. Koth. نصر) Ibn Rabiah. „Habuerat Dschozaimah seruum Kotzair dictum. „Eum de compacto Amru Ibn Adi naso mutilauit, lorisque conscidit. Sic mulcatus Kotzair „se sistit Zobbaae, velut qui iratus esset domino „suo

auunculus torque ornatum et barbatum: Amru, inquit, adoleuit, nec torques eum decet, id quod in prouerbium abiit. Et matrimonium inire voluit Dſchozaimah cum Zobba (241) filia regis Hirtenſis, qui poſt mariti fata regnabat. Acceſſit igitur hoc conſilio ad eam, ingreſſusque eſt ad eam, aſt illa interfecit eum. Et quae-

M 5 ſiue-

„ſuo. Illa fidem homini adjungens, commiſeratione affecta eſt eius calamitatis. Tum Kotzair „mercaturam pro Zobbaa exercere inſtituit; a „Domino ſuo Amru opes ſumens, quas tanquam „lucrum mercium ad eam reportabat. Hoc ali„quoties iteratum. Remeauit tandem cum mille „circiter ciſtarum onere; quae intus obſeratae „erant. In iis viri armati. Haec onera conſpicata Zobba, ac ſuſpicione icta, dixit:

„Quid eſt, quod jumenta tam procedant len-
„tule?
„Lapidesne forte, an magis ferrum, geſtitant?
„An potius plumbum frigidum et graue?
„An vero viros, qui recubent et reſideant.

Exitus rei hicce, vt narratur l. c.

„Quum autem ingreſſi eſſent arcem Zobbae, „egreſſi e ciſtis viri vrbem oppreſſerunt, atque „Zobbaam interfecerunt. Sic Kotzair Domini „Dſchozaimae necem vltus eſt.„

عمرو بن اخته وقصير غلامه بثاره
فقتلاها وخلفا في بلدها رجلا ورجعا
بالغنايم فذلك اول شي قسم في العرب
من غنايم الروم وكان ملك جذيمه
ستين سنة

عمرو بن عدي وملك بعده عمرو بن
عدي بن اخته فعظمته الملوك
وهابته لما كان من حيلته في
الطلب بثار خاله حتي ادركه وكان ملكه
نيفا وتسعين سنة

امرو القيس وملك امرو القيس بن
عمرو بن عدي ويقال بل ملك الحرث
بن عمرو بن عدي ويقال انه هو الذي
يدعي محرقا وفيهم يقول الشاعر الاسود
بن جعفر (242)

ماذا اومل بعد ال محرق تركوا
منازلهم وبعد اياد

ارض الخورنق والسدير (243) وبارق
والقصر ذي الشرفات من شداد

النعمان

(242) Lege يعفر b. *Reiske* ad marginem.

fiuerunt Amru, fororis filius et Kotzair feruus eius vindictam, et occifa ea, quendam confti-tuerunt, qui terrae illi praeeffet, domumque redierunt cum praeda. Atque haec fuit prima praeda ex Graecia in Arabiam portata. Dfchozaimah autem regnauerat fexaginta annos.

Amru fil. Adj. — Succeffit Amru fil. Adj Dfchozaimae ex forore nepos, quem magni faciebant reges, quemque vifis, quibus vtebatur, artibus donec auunculi caedem vindicauerat, reuerebantur. Regnauit quinquaginta et aliquot annos.

Amru'lKais. — Regnauit Amru'lKais fil. Amru, nepos Adi. Alii autem *Harerum* fil. Amrui, nep. Adi eius fucceffforem nominant. Perhibent, eum eundem fuiffe, qui cognomen Moharrek tulit. De eo loquitur poëta Aswad fil. (242) Dfchofar:

> Quid fperandum poft gentem Moharreki,
> quae reliquit fedes fuas et poft Ajad
>
> Sc. Terram Chowarnek, et Alfadir (243)
> et Barek et caftellum excelfum Schedád,

Nat-

(243) v. notam feq.

النعمان بن امري القيس وملك بعده
النعمان بن امري القيس وكان اعور
وهو الذي بني الخورنق (244) وهو
النعمان الاكبر ويقال انو شروان
اى قباذ هو الذي ملكه واشرف يوما
علي الخورنق

المنذر

(244) Schvltens in *monum. vestutior. Arabum* p. 47. ex Abvlfeda, vbi de *Naëmane Ibn Amri'l Kais.* „Hic est ille, qui aedificauit Arces Chowarnak et Sadir. Mansitque in regno „annos triginta. Deinde religiosam vitam am„plexus, regno se exuit diebus Behram Dschaur „filii Iezdedscherd.„ — De Chowarnako pulcrum locum adhuc habet Schvltensivs, sed nescio ex quo scriptore desumtum. „Situm „erat Chowarnek ad distantiam trium ab Hira mil„liarium; et Sadirum in deserto vicino. Aedifi„cauit has arces Naëmanus Ibn Amri'lKais, qui „est Naëman major. Causa aedificandi haec pro„ditur: Iezdedscherdo filio Saporis nullus libero„rum vitalis erat. Anquisiuit itaque in locum, „cuius aër salubrior esset, eique dilaudata fuit pu„ritas Hirae. Tradidit itaque filium suum Beh„ram Dschaur Naëmano, eique praecepit Chowarne-

Naëmam Ibn Amri'lKais. Excepit eum in imperio Naëman Ibn Amri'lKais. Erat unoculus. Idem eſt ille, qui condidit Chowarnek (244). Hic eſt Naëman major. Referunt nonnulli: Anuſchirwanum, aut Kobadem eum regem conſtituiſſe, eumque praefeciſſe Chawarneko etc. (i. e. Hirtenſibus).

Mond-

„warnekum exſtruere; ſtructum eſt ſuper flumine „Sindad viginti annorum ſpatio Architectus fuit „vir quidam, cui Sennemmaro nomen. Finita „ſuperſtructione admiratus Naëmanus cum pulcritudinem aedificii, tum firmitatem, juſſit ho„minem e faſtigio eius deturbari, ne conſimilem „arcem vlli aedificaret. Alii dicunt, id factum, „quod mirante Architecto praemium operis ac„ceſſerit ad regem, eique dixerit: ſi ſciuiſſem, re„gem tam munificum futurum, aedificaſſem ei „ſtructuram, quae cum ſole orbem ſuum pera„gente circuiret. Ei Naëmanus: Itane excellen„tius potuiſſes exſtruere, nec ſtruxiſti? De culmi„ne itaque praeceps actus eſt. Narratur ab aliis: „immo vero dixit ei: noui lapidem, quem ſi lo„co emouero, minitetur adificium ruinam. Tum „metuens Naëmanus, ne ſi non ſat ampla prae„mia redderet, id efficeret, eum ſic ſuſtulit.

المنذر بن امري القيس وملك انو
شروان بعده المنذر بن امري القيس
اخاه وكانت ام المنذر بن النمر (245)
بن قاسط يقال لها ماء السماء (246)
من الازد وهو عامر ابو عمرو بن
عامر الخارج من اليمن وسمي عامرا
ماء السماء لانه كان اذ اقحط القطر
احسا فاقام ماله مقام القطر فسمي ماء
السماء اذ اقام ماله مقامه وقيل لابنه
عمرو مزيقيا لانه كان يمزق كل يوم
حلتين يلبسهما (247) ويكره ان يعود
فيهما ويانف ان يلبسهما غيره قال
وذكرت هذا في هذا الموضع لنفرق بين
ماء السماء الذي هو امراة وماء السماء
الذي هو رجل وكان تحت المنذر
بن امري القيس هند بنت الحارث

بن

(245) Legendum من النامر, quam lectionem in versione expressi.

(246) Post verba ماء السماء, quae habes in textu inse-

Mondzar Ibn Amri'lKais. — Regem conſtituit Anuſchirwan poſt Naëmanum fratrem eius Mondzarum Ibn Amri'lKais. Mater eius erat a Namaro (245) filio Kaſet oriunda, nomine Ma Alſamai (246). Verum Ma Alſamai ex tribu Azd, erat Amer Abu Amru fil. Ameri, qui egreſſus erat ex Arabia felice; vocabatur enim MaAlſamai, quoniam, cum deficeret pluuia, opes ſuas conſtituit loco pluuiae et vocatus eſt Maa Samai (aqua, pluuia coeli), quoniam eius loco opes ſuas conſtituit. Filius autem eius vocatus eſt Amru Mozaikia, quoniam quotidie lacerabat duas chlamydes, quas induebat, nec eas ſecunda vice induebat (247), ſibique ignominioſum putabat, ſi quis praeter eum iis vteretur. Haecce adjicienda mihi videbantur, vt diſcrimen notaretur, quod eſt inter Maa Samai feminam et Maa Samai virum. Mondzar autem Ibn Amri'l Kais habebat vxorem Hend filiam Hareſi fil. Amru,

inſerendae voces واما ماء الشماء, vt iam ſuſpicatus eſt beatus *Reiske* in nota marginali.

(247) Legendum ſuſpicor يلبسهما, quoniam reliqua tum quae antecedunt, tum quae ſequuntur in duali enunciata ſunt,

بن عمرو الكندي اكل المرار وهي التي
يقول فيها القايل (248)

ووَلدت هند ثلاثة متتابعين عمرو بن
هند مضرط الحجارة وقابوس فتنة
العرس وكان فيه لين والمنذر بن المنذر
ولم يزل المنذر امير قيس على
الحيرة الى ان غزي الحارث بن ابي
شمر الغساني وهو الحرث الاعرج فقتله
الحرث الأعرج بالخيار

المنذر بن المنذر بن امري القيس ثم
ملك ابنه المنذر بعده وخرج يطلب دم
ابيه فقتله الحارث ايضا بعين اباغ
وقد سمعت من يذكر ان قاتله مرة بن
كلثوم التغلبي

عمرو بن هند ثم ملك عمرو بن هند
مضرط الحجارة سمي بذلك لشدة وطاته
وصرامته وهو محرق ايضا سمي بذلك لانه
احرق

(248) Deerant iam hoc loco verſiculi in codice Leidenſi

Amru, Cenditae Acel Almarar, eadem illa, de qua canit poëta (248):

. . . . . .

Peperit autem Hend tres filios se inuicem excipientes, Amru Ibn Hend, Modarret Alhadſchárah, et Kabus Fothanh Alaras (tentatio ſponſarum) homo mollis, tandem Mondzar Ibn Mondzar. Et imperauit Mondzar tribui Kais (Ailan v. tab. geneal.) Hirtenſi, donec bello aggrederetur Hareſum Ibn Abiſchamar, Gaſſanitam. Et Hares cognomine Alaradſch interemit eum Hejarae.

Mondzar Ibn Mondzar Ibn Amri'lKais. Mondzarum Ibn Amri'lKais filius Mondzar in imperio excepit, qui cum exiret vindicaturus caedem patris occiſus eſt quoque ab Hareſo iuxta fontem Abag. Audiui etiam quendam narrare, eum occidiſſe Morrah filium Colſumi Thaglabitam.

Amru Ibn Hend. Poſtea regnauit Amru Ibn Hend, Modarret Al Hadſcharah (calcator lapidum) dictus propter duritiem, implacabilitatem et vindictae ſtudium. Dictus eſt quoque Moharrek,

denſi, vt ex nota margini Codicis Reiskiani adſcripta intelligo.

احرق ثمانية وتسعين رجلا من دارم بالنار
وكملهم مايه برجل من البراجم وبامراة
من نهشل ولهذا قيل ان الشقي وافد
البراجم وكان رجل منهم قتل ابنا له
خطاء وهو صاحب طرفة والمتلمس وكان
كتب لهما الي عامله بالبحرين اوهمهما
انه كتب لهما فيه بصلة وكتب اليه يامره
يقتلهما واما المتلمس فانه دفع صحيفته
الي رجل من الحيرة فقراها فلما عرف
ما فيها بنذها في نهر بقرب الحيرة
فرجع فقيل صحيفة المتلمس واما
طرفه فمضي بصحيفته حتي اوصلها الي
العامل فقتله وقد ذكرت القصة في كتاب
الشعراء في طولها

النعمن بن المنذر وملك بعده النعمن
بن المنذر بن امري القيس وكان
يكني ابا قابوس وهو صاحب
النابغة الذبياني وصاحب الغريين
وهما طربالان فعريهما بدم من
يقتله

harrek, quoniam igne combussit nonaginta octo Daremitas. Et vt impleret centenarium numerum, addidit vnum ex Baradschamitis, feminamque ex Nahschalitis. Vnde dictum est (sc. prouerbialiter): Miser hospes Baradschamita. Nempe quidam eorum (Daremitarum) casu occiderat eius filium. — Erat aequalis Tarafae et Mothalamasi. Scripserat de iis ad praefectum suum in Baherain iisque persuasit, se illis in litteris, ad praefectum datis, stipendium adsignasse, (scripserat autem de iis occidendis). Mothalamas tradidit epistolam suam cuidam Hirtensi, qui legit eam. Cumque ex eo cognouisset eius argumentum conjecit eam in fluuium in confinio Hirtensi rediitque, et dictum est (in prouerbio) *epistola Mothalamasi*. Tarafah autem pertulit epistolam suam ad praefectum persuasus de argumento, (quod mentitus erat rex) qui interemit eum. Narraui autem historiam hanc IN LIBRO DE POETIS cum omnibus circumstantiis.

Naëman Ibn Mondzer. Eum in imperio secutus est Naëman Ibn Mondzer nepos Amri'l Kais, cognomine Abu Kabus, cui res fuit cum Nabego Dzobjanensi. Erat auctor Alaraiti quas inunxit sanguine eorum, quos occidebat, cum

 equi-

يقتله اذا ركب يوم بوسة وكان
له يوم بوس ويوم نعيم وقتل عبيد
بن الابرص يوم بوس وكان اتاه يمتدحه
ولم يعلم انه يوم بوسة وهو قاتل
عدي بن زيد العبادي الشاعر وكان
عدي ترجمان ابرواز وكاتبه بالعربية
وهو وصف له النعمن واشار اليه
بتوليته واحتال علي ذلك حتى ولاه
من بين اخوته وكان ادمهم واقبحهم
ثم اتهمه النعمان فاحتال عليه حتي
صار في يده فحبسه وكان عدي يقول
الشعر في الحبس ثم قتله وتوسل
ابنه زيد بن عدي الي ابرواز حتي
احله محل ابيه فذكر زيد بن عدي
لابرواز نساء المنذر ووصفهن بالجمال
والادب فكتب ابرواز يخطب الي النعمن
اخته وابنته فلما قرا النعمن الكتاب
قال وما يصنع الملك بنسائنا واين
هو عن مها السواد والمها
البقر يريد اين هو عن نساء
السواد

equitaret die luctus sui. Erat enim ei dies luctus et hilaritatis, et occidit Obeidum, filium Abratz die luctus, qui uenerat ad eum carmine in eius laudes composito, nesciens, illum diem esse diem luctus eius. Occidebat etiam Adium Ibn Zaid Abaditam, poëtam, qui erat Aberwizi interpres et scriba in Arabicis. Hic (Adi) commendauit Naëmanum (Aberwizo) suadendoque id perfecit, vt eum successorem (in regno Hirtensi) designaret; quibus dolis etiam obtinuit, vt ei assignaret imperium fratribus posthabitis, licet iis deformior esset. Postea autem Adi in eius suspicionem incidit. Quare insidias ei struxit, donec in manus eius veniret, in carcerem eum conjecit, in quo Adi carmina fundebat. Tandem interemtus est. Filius eius Zaid Ibn Adi gratiam Aberwizi captauit, vt substitueretur in locum patris. Quam ob rem narrauit Zaid Ibn Adi Aberwizo de gynaeconitide Naëmanis, eiusque pellicum laudauit pulcritudinem, morumque elegantiam. Et scripsit Aberwiz (ad Naëmanum) sibique expetiit sororem et filiam eius. Quumque legisset Naëman litteras: quid, inquit, faciet Rex cum mulieribus nostris? Quare discedit a Maha Aswad. Maha autem significat vaccas; *quare discedit a*

 Maha

السواد التي هن كانهن المها والعرب
تشبه النساء بالمها (249) فخرف زيد
القول عنده فقال قال اين هو عن
البقر لا ينكحهن فطلب ابرواز النعمان
فهرب النعمان منه حينا ثم بدا ان
يلتقيه فاتاه بالمداين فصف له
ابرواز ثمانية الف جارية صفين
فلما صار بينهن قلن له اما للملك
فينا غناء عن بقر السواد فعلم
النعمن انه غير ناج منه فامر به كسري
فحبس بساباط ثم القي تحت ارجل
الفيلة فتوطاته حتي مات قال الاعشي
يذكر ابرواز

هو المدخل النعمن بيتا سماوه
نحور الفيول بعد بيت مسردق

اياس بن قبيصة ثم خرج
الملك عن ال المنذر وولي كسري
اياس بن قبيصة الطاي ثمانية
اشهر

(249) v. HORATIVS Od. V. lib. II.

Maha Afiwad idem eft ac a mulieribus Afwad, quae funt Maha. Arabes enim comparant feminas cum vaccis (249). Male autem interpretatus eft Zaid dictum eius regi (Perfarum) dixitque: Dixit (Naëman) quare non vaccas in matrimonium fumit? Quo audito quaefiuit Aberwiz Naëmanum, fed fugam capefferat aliquamdiu. Poftea vifum eft ei, vltro redire, venitque Ctefiphontem. Et difpofuit Aberwiz octo millia feminarum in duo ordines, et cum per eas transiret, dicebant regi: Quaenam vtilitas effet (regi noftro, qui nos habet) fi haberet vaccas Aswadi. Et cognouit Naëman, fe non difceffurum ab eo. Poft haec Cosru eum incarcerandum curauit Sabati, et projiciendum pedibus camelorum, quibus conculcatus periit. De eo canit Afcha, vbi mentionem injicit Aberwizi:

Is eft, in cuius domum ingreffus Naëman,
cuius laquearia funt jugula elephanti,
poft aream velis opertam.

Ajas fil. Kobaitzae. Poftea ereptum eft imperium (Hirtenfe) familiae Mondzari. Conftituit enim Cosru Ajafum fil. Kobaitzae Tajitam regem, (qui et regno praefuit) per octo menfes.

 Con-

اشهر واضطرب ان كسري (250) وسعلوا وجاء الله بالاسلام ومات اياس بن قبيصة بعين التمر وفيه يقول زيد الخيل

فان يلي (251) رب العيبي خلا مكانه وكل نعيم لا محالة زايل

الردافة قال ولم يكن من العرب اكثر غارة علي ملوك الحيرة من بني يربوع بن تميم فصالحوهم علي ان يجعلوا لهم الردافة ويكفوا عن اهل العراق الغارة وكانت الردافة ان يجلس الملك ويجلس الردف عن يمينه فاذا شرب الملك شرب الردف قبل الناس واذا غزي الملك جلس الردف في موضعه وكان خليفته علي الناس حتي ينصرف واذا غارت كتيبة المنذر اخذ الردف المرباع كان جرير يذكر ذلك ويقول

ربعنا

(250) B. *Reiskius* in nota marginali dubitat de lectione genuina suadetque vel وشغلوا vel وشغبوا legere, id quod mihi quidem non videtur necesse.

Concussa autem est familia Cosrois et sensim confecta (250). Tandem superuenit Islamismus et obiit Ajas Ibn Kobaitza Ain Al Thamarae. De eo dixit Zaid Alchail:

> Ejas (251) dominus Ain abest a loco suo,
> omnisque omnino voluptas (cum eo) decessit.

RADAFAH.

Non contigere plures Arabum excursiones in reges Hirtenses, quam a Iarbuitis a Thamimo oriundis. Fecerunt tandem pacem cum Hirtensibus hac conditione vt sibi concederent Radafah, (qua dignitate impetrata) se intermissuros excursiones aduersus Irakae incolas. *Radafah* autem est dignitas accumbendi iuxta regem. Accumbit autem, qui hanc veniam habet (qui secundus a rege est) a dextra eius, et si bibit Rex, bibit Radaf ante alios, et si in expeditionem egressus fuerit rex, sedet in loco eius, et vices eius gerit, donec redierit, et si excursionem susceperat legio Mondzari, accipiebat Radaf quartam (praedae) partem. Dscharir eorum mentionem injicit his verbis:

N 5 Quar-

(251) Locus hic in mendo jacet. Optime eum restituit iam b. *Reiskius* in margine, اياس.

ربعنا وردفنا الملوك وظللوا وطاب
الاحاليب الثمام التزعا

وكان اول من ردف منهم عتاب بن
هرمي بن رياح اليربوعي ثم ابنه عوف
بن عتاب ثم ابنه يزيد بن عوف علي عهد
المنذر بن ماء السماء فبعث المنذر بن
ماء السماء جيشا الي بني يربوع وعليه
قابوس وحسان ابناه (ويقال ان حسان اخوه)
لانتزاع الردافة منهم فحاربتهم بنو
يربوع وكان ملتقاهم بطنحة (252) فهزمت
بنو يربوع جيش المنذر فاسروا ابنيه
فبعث المنذر اليهم بالفي بعير
فداء ابنيه فاقر الردافة فيهم قال
جرير

ويوم اتي قابوس لم يعطه المني
ولكن صدعنا البيض حتي تهزما *

(252) v. GOLIVM f. v. بطيخة. Sic mihi qui-

Quartam praedae partem accepimus fuimusque fecundi a regibus, et placuit equis paftus.

Primus Radaf fuit Athab Ibn Haram Ibn Rebah Iarbuita. Poft eum filius eius Auf (Ibn Athab), deinde filius eius Iezid (Ibn Auf) tempore Mondzari Ibn Maa Samai. Mifit autem Mondzar Ibn Maa Samai exercitum contra Iarbuitas, cui praefecerat Kabufum et Haffanum filios fuos, (Alii Haffanum fratrem eius dicunt.) quo iis hanc dignitatem eriperet. Et praelium commiferunt Iarbuitae in confinio paludis Nabathaeorum (252), fugarunt Mondzari exercitum, filiosque eius captiuos abduxerunt. Quo facto mifit Mondzar pro iis (redimendis) duo millia camelorum et confirmauit Iarbuitas in dignitate fedendi a dextra fua. De hac re gefta canit Dfcharir:

Venit dies Kabus, non admonuit eum Mani. Nos feruorem manifeftauimus, donec fugati funt.

Idem legendum videtur [ببطيحة].

APPENDIX.
IO. IACOBI REISKII
ANIMADVERSIONES CRITICAE
IN
HAMZAE HISTORIAM REGNI IOKTANIDARVM
AB
ALBERTO SCHVLTENSIO
EDITAM.

Pagina 20. edit. Schult. lin. 20. ait Hamzah: Abdschamsum, id est, Sabam vixisse tempore Caikobadi. Id si verum fuerit, multum decedet antiquitati adeo celebratae regni huius Ioktanici. Deprehendimus enim Caikobadum istum a Cyro, primo Persarum rege, diuersum non esse. Quod si verum sit, necesse est inter Ioktanum et Sabam, quos inter duos tantum patres interserunt Arabici scriptores, intercessisse multo plures. At dices: Persicum regnum a Cyro institutum durauit annos 207 ex calculo nostrorum chronologorum; vtpote quod coeptum

tum A. M. 4178 (ex calculo Petauiano) desiit cum Dario Codomano A. M. 4385. Illud autem a Caikobado institutum (quod Arabici scriptores classem secundam regum Persicorum et quidem Caijanicorum appellant) durauit ex eius gentis traditione 734 annos vt D'HERBELOT tradit p. 234. b. ex Leb Tarik; vel 738 vt ibidem perhibet ex Leb Montacheb (nam quod ibi exhibet 938 vitium scripturae est, ortum ex solemni et procliui confusione سبع *septem* et تسع *nouem*, quae duo, si puncta diacritica abfuerint, distingui prorsus nequeunt) aut annos 778 vt Hamzah refert. Verum etiam hoc admisso tanquam vero, nihilominus tamen non constabit huic asserto, quod Saba sub Caikobado vixerit, sua ratio. Ineamus modo computum. Non huc referam, quod Saba dicatur, ab his 120 annos regnasse, ab illis, vt a Guzio 480 et eius filium Homairum 480 vel vt idem quoque habet 80, et Cahlanum alterum filium 300. Hae traditiones ab historicis tantum ex lubitu confictae sunt, et vt conuenire suo calculo censebant. Tantum Hamzam sequar. Sabae itaque et Homairo, qui ambo dicuntur admodum senes decessisse, tribuam annos centum. Porro dicit Hamzah Homairum inter et Ar Rajeschum quindecim generationes aut, vt ille ait, patres intercedere. Hi spatium occupare minus 460 annis nequeunt. Caeterorum

rorum regum vsque ad Dzu Habſchanum (qui dicitur ſub Dario Codomanno vixiſſe) anni computati conficiunt ſpatium annorum 904. Hos iam adde ſuperioribus 560. Habebis annos 1464, altero tanto plures, quam debebant eſſe, ſi Saba ſub Caikobado vixiſſet, et Caikobad ſeptem et vltra ſeculis antiquior Dario Codomano fuiſſet. Alia quoque ratione poſſet huius aſſerti futilitas ex aetate Belkiſae, quae regina Sabaea, Salomonis admiratrix et vxor fingitur, demonſtrari. Sed cui bono manifeſtum mendacium operoſe arguere?

Pag. 22. lin. 1. edit. Schult. textus Arabici legendum أن طيبا سمي طيبا. Rationem huius emendationis facile perſpicient grammaticae Arabicae paullum periti. Res ipſa clamat; et expreſſis clarisque litteris ita exſtant apud Ibn Doraid p. Ms. 365. قال الخليل (grammaticus) اصل بناء طيٍّ من طاء وواو فقلبوا الواو ياء فصارت يا ثقيلة كان الاصل فيها طوي وكان ابن الكلبي يقول سمي طي لانه اول من طوي المناهر* Haec non licet commode latine efferre ſed debent natiua ſua lingua exhiberi et legi, quia neque proſunt Arabice non intelligentibus neque ab iis poſſunt capi. — Deinde verſio cl. Viri ſic reconcinnanda. *Namque dicunt* THAJ (forma

(forma Hamzata) *quia primus* THAWA (forma vltimae Ie) *lapideo opere* (vel caemento) *incrustauit* (et docuit incrustare) *puteos aquatorios.* (Qua re factum est, vt tales putei diutius perstarent neque collaberentur, quum putei non incrustati caementerio opere breui post obruti sublabentibus terreis parietibus opplerentur et obliterarentur). Vt igitur (sic ratiocinatur grammaticus) Thai, vox Hamzata, formata fuit a طوي Thawa, verbo vltimae Ie, sic etiam Saba potuit iusto titulo Hamza instrui, quamuis a سبي Saba verbo vltimae Ie deriuetur.

Eadem p. 22. lin. 7. debuerat عن legi et exhiberi pro الي, quamuis non dubitem الي in Codice Leidense fuisse a Celeberrimo Viro repertum. In cute illum Codicem noui. Octauum tamen hunc eius librum neque descripsi, neque contuli cum impresso, quia de fide summi Viri ad editionem adhibita nullus dubitabam. Sensus autem verus ex ea emendatione emergit hic, qui in celeberrimi Schultensii versione p. 23. l. 9. nullus est. Nam pro verbis eius latinis — *Nec tamen integrum Iemanae regnum obtinuerunt iterum* — reponenda sunt haecce: *Nec tamen eorum regnum vltra et extra Al Iemanam* (vel Arabiam felicem) *se protendit*, sed eius prouinciae terminis inclusum mansit, *donec post elapsas aliquot*

aetates

aetates tandem rerum potitus fuit Al Hares Ar Rajesch. — Intelligo quidem, quid imposuerit celeberrimo Viro. Primum, quod non animaduerteret scribae errorem, qui praepositionem الي *Ad* male pro عن *A* posuerat. Deinde quod يعد deriuarit a verbo عاد rediit, quasi foret legendum يَعُدْ *rediit*, quum legendum fuisset يَعْدُ *transiit*, a verbo vltimae Vau — *non transiit eorum regnum ab* (vel *ex*) *Al.emana.* Sensus, quem dedit Cl. Schultensius cum toto narrationis nexu pugnat, vt lectori facile constabit, si vlterius legendo continuare velit.

Locum p. 27. lin. 8. etiam non recte cepit cl. Vir. Debuerat eum sic interpretari. Factum nempe, quum in AlCorano memorarentur expeditiones Alexandri M. immediate post memoratas expeditiones Dzi'l Carnain, id est Schameri, vt, qui sub initia Islamismi vixerunt, historiarum auctores errorem circa hunc titulum Dzil Carnain commiserint et eum applicuerint postremum nominato, quum debuissent applicare primum nominato.

Eadem pag. 23. lin. 19. paſſus eſt a vitio Codicis ſibi imponi. Vertit enim: *Narrant hunc Tobbaum poſt reliquas ſuas expeditioues in oriente ſubjugaſſe prouincias Choraſanae.* Sed ſic debuerat: *Hunc ajunt primum fuiſſe ſic dictum Tobbaum, et in argumentum, quo demonſtrent, quam longinquas ſuſceperit expeditiones bellicas, allegant, quod facta in Orientem excurſione, prouincias Choraſanae ſubegerit.* Decepit Clariſſ. Virum, quod credebat بَعْدُ legendum, prima littera Fatahata, id eſt, *poſt.* Sed legendum eſt بُعْدِ, prima Dhammata, i. e. *longinquitas.* Ad verbum foret: *Eſt de longinquitate expeditionum eius, quod excurrit in Orientem ſubactum* etc. — Sed verba quoque Arabica manca ſunt et ſic debent ſuppleri: قالوا هو تبع الاول ومن بُعْدِ مغازه confirmat hanc emendationem linea quarta p. 28. Neque quenquam turbare debet quod exſtat

pag. 30.

pag. 30. lin. 10. vel pag. 31. lin. 12. Difficultas nullius eſt momenti. Alios ſequitur auctores.

Locum pag. 28. lin. 6. ſeqq. Cl. Schultenſius ita reddit, vt ſcriptor ſibi ipſi contradicat. Melius redderetur: *Dzu Habſchan filius Akrani regnabat tempore Dara, filii Dara, filii Bahaman* (id eſt *Darii*, forte Codomanni, *filii Darii*, forte nothi, *filii Bahamani*, id eſt Artaxerxis Longimani) *et poſt eum aliquamdiu, in vniuerſum 70. annos. Hic eſt ille, qui Taſmitas et Dſchadiſitas in Al-Iemama contriuit; idque antequam Alexander rerum potiretur. Nimirum hae gentes, atque aliae, numero in vniuerſum ſeptem obtinuerant Omanum, Bahrain* et *Iemanam prouincias* — *Vnaquaeque gentium earum haud minor erat, quam Rabiah vel Modhar* [tribus Ismaëliticae]. *Septem illae gentes erant, Ad, Samud, Sohar, Wabar, Taſm et*

 Dſchadis.

Dſthadis. Quinque primo loco nominatae prorſus et absque relicto *veſtigio variis caſibus et poenis a Deo inflictis perierant. Tasmitarum et Dſchadiſitarum reliquiae vsque Dzu Habſchani tempora perdurauerant. Haſce reliquias exſtirpauit iam noſter hic Dzu Habſchan.*

Pag. 30. 8. Immanis eſt Hamzae ſtupor et anachronismus, quod eundem Kotzai, quem p. 36. Fairuzo aequalem dicit, Alexandri M. tempeſtate vixiſſe affirmat. Adeo caecutiunt iſti homines et tanquam in tenebris palpant in ſuis antiquitatibus. Sed forte cum vmbra pugnamus et reprehenſione dignior eſt librarius eius (qui foeda ſuae ignorantiae documenta quam plurima in Codice Leidenſe edit). Forte قصي pro نضر dedit, qui eſt filius Cenanae.

Eadem

Eadem pag. lin. 9. legendum eſt *Tobba filius Akrani nepos Abi Maleci, filii Sjamari Tremuli.*

Eadem pag. 30. linea quarta et quinta a fine verba Arabica manca ſunt, quo factum vt latina quoque euaſerint obſcura et male cohaerentia. Arabica ſic legenda ſunt; يقال لهم ملوك الطوايف ممن ولاهم الاسكندر كذلك في اليمن ملوك يقال لهم لاقيال — Et hic eorum ſenſus: *Quemadmodum in Perſia exſtitere reges, dicti Reges prouinciarum* (aut nationum Perſicarum) *particularium, illi et ab illis oriundi, quos paſſim inſtituit, Alexander Magnus: ſic etiam fuerunt in Arabia felici tales reguli tractuum et familiarum particularium, quorum vnicuique titulus erat Kail et Dauraz. Et quemadmodum Ardeſchir* (vel Artaxerxes circ. anno P. Chr. N. 220) *exſtirpauit regulos iſtos*

Persicos, sic etiam regulos Arabiae felicis Kail et Dauraz appellatos exstirpasse fertur Asad. — Quid sit de voce Dauraz nescio, et aliis conjiciendum atque examinandum relinquo.

Pag. 32. lin. 22. post vocem اخبار inserenda est vox الحسن, quae excidit. *Legi in libro quodam de libris historiarum Arabiae felicis.*

In ead. pag. lin. 24. lege ابصعة pro الصعه.

Eiusdem pag. 32. lin. penult. pro voce ابن *filius* legendum est ابو *pater*. Aut vera non sunt, quae traduntur p. 34. lin. 14.

Pag. 38. lin. 6. pro يغرق legendum est — يحرق

Ejusd. p. 38. lin. 18. pro وسبعين legendum في سبعين.

Pag.

Pag. 40. lin. 5. pro voce حالة legendum aut محالة aut خلة.

Pag. 42. lin. 31. pro *Daduja* forte *Zadujah* legendum. *Pocockius* ſpecim. Hiſt. Ar. p. 74. habet زادويه

Pag. 44. lin. 13. pro العبسي *Abſita* legendum العنسي *Anſita*, vt alibi.

ADDENDA.

Ad pag. 8. §. 3. Conferatur POCOCKIVS *in Carmen Tograi* ad finem. — SOZOMENI *hiſtoria eccleſiaſtica* lib. VI. c. 38. p. 760. ed. Valeſ. Poſtquam Moawiam (Μαυια) Arabum reginam Romanos bello viciſſe narrauerat, addit Sozomenus: Ταυτα δε πολλοι των τηδε προσοικουντων εις ετι νυν απομνημονευουσι. Παρα δε τοις Σαρακηνοις εν ωδαις εστιν.

Ad

Ad pag. 22. not. 17. addatur Wood's *Versuch über das Original Genie des Homers* pag. 271. seqq.

Ad pag. 23. med. Adi Elmacini *historiam Saracen.* p. 18. et Abulfedam apud *Hottingerum in Bibl. Orient.* p. 106.

IENAE
ex Officina FICKELSCHERRIANA.

Dud

Caab

Morrah
CALAB